

tium, instituentium, aggregantium, & communicantium, qua Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituentibus, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum predictarum sunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregacionibus, & communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, qua non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irreperunt, multaque incommoda inde provenerunt.

§. 2. Quibus nos pro commisso nobis Apostolica sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christi fideles Charitate prospicere volentes, hac nostra constitutione perpetuo valitura, decernimus, atque statuimus, ut imposterum, tam huius Almae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum, & locorum totius Christiani orbis Regularium Ordinum, Religionum, & Institutum, quibus in eorum & quibuscumque aliis Ecclesiis, & Collegiis, Confraternitates saecularium erigendi, et instituendi facultas concessa est, nec non etiam Archi-Confraternitatum, et Congregationum, cujuscumque nationis, nominis, et instituti illae sint, et in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, et Oratoriis, tam saecularium, quam ut praesertim, quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, et Institutum Regularium, quavis, tam ordinaria, quam Apostolica Auctoritate erectae, ac institutae existant, seu alto quovis modo introductae reperiantur, quibus alias Confraternitates, et Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, aliisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta praedicta, elargiendi, et communicandi potestas a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, vel a Nobis, et Apostolica Sede attributa fuit, Magistris, Priores, Praepositi, Rectores, Gubernatores, Praeceptores, Primicerii, Praelati, Custodes, Guardiani, Praefecti, Administratores, et alii Officiales, seu Superiores quovis modo nuncupati Regularium sive Ordinum, Religionum, et Institutum, unam tantum Confraternitatem, et Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum litteris ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, et Congregationis erigendae, et instituendae pietas, et Christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis erigere, et instituere.

§. 3. Ceterarum vero Archi-Confraternitatum, et Congregationum, in singulis civitatibus, oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, et Congregationem dumtaxat, quae Apostolica, vel ordinaria Auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto Archi-confraternitatis, et Congregationis ejusdem, vel alterius nationis, nominis, et instituti aggregata sit, praevisio similiter loci Ordinarii consensu, et cum ejus litteris testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis, et Congregationis aggregandae institutum, pietas, et Christianae charitatis officia, quae exercere contuevit, apud eos commendentur, sibi adungere, et aggregare possint.

§. 4. Huic vero Confraternitati, et Congregationi erigendae, instituendae, seu aggregandae ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta, quae ipsi ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, communicanti, seu Archi-confraternitati, et Congregationi aggreganti, nominati, et in specie, non autem, quae per extensionem, vel communicationem sibi, quovis modo, concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressis, & in specie communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro Regimine Ordinum, Religionum, & Institutum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archi-Confraternitatum, & Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum praedictorum sunt impartiri non possunt, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subiecta remaneat.

§. 6. Insuper volumus, et ordinamus, ut praedicti Ordines, Religiones, Instituta, erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archi-confraternitates, et Congregationes aggregantes, certam erigendi, instituendi, aggregandi, et communicandi formulam a Nobis no-

visime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta ipsi ordinibus, Religionibus, institutis, erigentibus, & instituentibus, & communicantibus, seu Archi-confraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus, nominati, & expressis, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra: concessa, ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiant, communicare possint.

§. 7. Quibus Confraternitates, & Congregationes ejusdem dumtaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis & Instituti Archi-confraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam haecenus aggregatae, quam imposterum aggregandae utantur, potiantur, & gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factae sunt, ministri, & officiales, & alii praedicti privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta hujusmodi, praevisio tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis, duobus, de ejusdem Ecclesiae Capitulo, illa juxta sacri Concilii Tridentini Decretum promulganda decernat, debitum temporibus promulgare valeant.

§. 8. Quibus etiam ministris, officialibus, & aliis praedictis Eleemosynas, & alia oblata Christianae charitatis subsidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci praescribendam, remotis tamen mensis, pelvibus, et capsis, quae in Ecclesiis, et Oratoriis dictarum Confraternitatum, et congregationum publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta, erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archi-confraternitates, et Congregationes aggregantes, tam Almae Urbis nostrae, quam aliarum civitatum, et locorum quorumcumque juxta modum a vicario Urbis, et ab Ordinariis locorum respectivè praescribendum observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas, in reparationem, et ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutum, erigentium, instituentium, et communicantium, ac Archi-confraternitatum, et Congregationum aggregantium, quam confraternitatum, et congregationum erigendarum, et instituentiarum, ac aggregandarum, et quibus communicationes fiant, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in urbe, nec non Ordinarium locorum respectivè, fideliter exponere, atque erogare procurant, ut omnes intelligant, caelestes Ecclesiae thesauros, non quaestu, alicujus lucris causa, sed pietatis, & charitatis excitandae gratia, ex Apostolicae Sedis benignitate fidelibus aperiri.

§. 9. Praeterea volumus, ut Confessarii, qui vigore privilegiorum ipsi Ordinibus, Religionibus, Institutis, erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archi-confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt saeculares, scilicet in Alma Urbe, à praedicto nostro Vicario, extra urbem vero, à locorum Ordinariis: Regulares autem non solum à praedicto Vicario nostro, et à locorum Ordinariis respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint, utque Confratres consentientes à criminibus, casibus, et censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et Sacri Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et nostris constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam, et tenorem dumtaxat, absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii praedictos confratres, cujuscumque gradus, status, conditionis, praeminentiae, etiam si specialis nota dignae fuerint, à casibus contentis in litteris, quae die coenae Domini legi consueverunt, nec non violationis immunitatis, et libertatis Ecclesiasticae, et clausurae Monasteriorum monialium, si videlicet sine necessaria, et urgente causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam sine causa, et licentia concessa abudentes, praedicta Monasteria ingressi fuerint, nec non violentae manus injectionis in clericum, et singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam à nobis, quam à praedicto nostro in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis respectivè reservatis, et pro tempore reservandis, et etiam à quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, et super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, praetextu dictorum privilegiorum, nullo modo possint.

§. 10. Demum statuimus, et pariter ordinamus ut con-

fratres, & Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praesertim, erectae, & institutae, & quibus communicationes praedictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis ordinibus, Religionibus, institutis, Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus ubilibet existentibus haecenus aggregatae, ab eisdem respectivè ordinibus, Religionibus, institutis, Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus, novas erectionum, Institutionum, communicationum, & aggregationum litteras, juxta formam à nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, in biennium à die publicationis praesentium in Romana curia faciendarum computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso erectiones, institutiones, & quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessae, nullius sint roboris, & momenti, ac revocatae, & abolitae censeantur eo ipso.

§. 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum tam haecenus factarum, quam deinceps faciendarum litterarum, ab ipsis ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus gratis omnino, ac nulla proorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediti, & concedi debeant.

§. 12. Quod si ministri aliqui, Superiores, vel officiales, quocumque nomine nuncupati ordinum, Religionum, institutorum, seu Archi-Confraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, & officio fungantur, & praesuleant, contra praemissa in aliquo venire, vel facere praesumpserint erectiones, institutiones, & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque praemissorum concessionum, nec non aggregationes per ipsos faciendarum, seu renovandarum nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem ministrorum, superiorum, officialium, & aliorum praedictorum, privationis officiorum, quae obtinet ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda poenam quae ab alio, quam à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

§. 13. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, ac de omnibus, & singulis, ad quos spectat inviolabiliter observari debere, siquidem nostrae mentis, & intentionis existere, & ita & non aliter per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam caularum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicare, & definiti debere, ac irritum, & inane quidquid super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Ponitur clausula derogatoria.

§. 15. Ponitur forma publicandi hanc constitutionem, & tempus quo ligare incipit.

§. 16. Ponitur notificatio adienda per ordinarios.

§. 17. Fides transumptis breviter causa omitto. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Decembris, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

Hae Bulla habetur in Bullario Cherubini, to. 3. pag. 160.

DECRETUM.

Sacrae Congregationis Rituum, Selecta ex 314. Decretis dicte Congregationis, quae adducit P. Claudius La Croix lib. 6. part. 2. num. 2054. Post Bullam Cane.

- 1. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis celebranda quidem est in Diocesi sub ritu duplici primae classis, sed sine octava. 2. Maji. 1619.
2. Regulares quidem tenentur celebrare Festum de Dedicacione Ecclesiae Cathedralis, sed sub ritu duplici secundae classis sine octava. 8. Aprilis 1662.
3. Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primae classis cum octava Festum de Dedicacione, & titulari Ecclesiae illius conventus, in quo morantur. 3. Junii 1681.
4. In Festo Corporis Christi non sunt canendae cantiones vulgari fermone. 21. Mart. 1609.
5. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in altari exposito, capite recte. 16. Feb. 1630.
6. Si Festum SS. Corporis Christi incidit in Vigiliam Sancti Joannis, jejunium celebratur in feria quarta proxima. Supplem. Theol. Sacram.

me praecedenti: de Vigilia vero nihil eo anno fiat. 24. Septemb. 1638.

7. Infra octavam SS. Corporis Christi non est agendum de officiis translatis, ritu duplici, primae classis non decoratis, ideoque si Festum S. Antonii Paduani, quod apud Franciscanos celebratur sub duplici secundae classis, incidit in praedictum Festum de Sacratissimo Corpore Christi, transferatur post octavam. Die decima secunda Julii, 1664.

8. Recitantes ex legitima concessione officii de sanctis, Corpore Christi in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut praescribitur in die ejusdem solemnitatis, Missam vero celebrare de communi, seu votivam. 12. Julii 1664.

9. Ad Vers. Panem de Caelo non additur Alleluja, nisi tempore Paschali, & infra Octavam Corporis Christi. 20. Janu. 1705.

10. In officio de die infra octavam SS. Corporis Christi non legitur nona lectio de Festo simplici. Quod si Festum illud simplex occurrerit eo die, quo fit de Festo duplici infra eandem octavam, tunc non omittitur, sed legitur nona lectio de eodem simplici, dummodo Festum illud non sit duplex primae classis. 8. Junii 1669.

11. Infra octavam SS. Corporis Christi non sunt dicendae Missae votivae, aut de Requiem. 21. Junii 1670.

12. Occurrentibus eadem die duobus Festis duplicibus infra octavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediate sequenti non impedita; sed post octavam, nisi fuerit ex solemniorebus primae classis. 7. Decembris 1680.

13. In processibus, quae sunt cum sanctissimo Sacramento, qui incedunt ante illud, in occurso, & transitu à latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant praedictum SS. Sacramentum. 1. Martii 1681.

14. In Festo SS. Corporis Christi non est faciendae processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.

15. In Tabernaculo, ubi asseritur SS. Sacramentum, non sunt retinendae reliquiae, nec vasa sacrorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.

16. Altare portatile tunc consecrationem amittit quando frangitur, vel loco movetur repositorium Reliquiarum. 5. Martii 1603.

17. Ad horas omnes, quae recitantur in choro, ardeant in Altari duae saltem candelae. 7. Aug. 1595.

18. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est mane, die secunda Novemb. non vero pridie vespere. 1. Septemb. 1607.

19. Si sub Altari, vel sub ejus gradibus, humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda missa, donec alio transferantur. 10. Nov. 1500.

20. Moniales completo officio possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel collectam, quia hoc non est officio addere. 12. Jan. 1600.

21. Moniales ipsae tenentur legere, vel cantare cantu firmo Divinum officium, non vero earum capellani. 11. Maji 1635.

22. Nominis processionum generalium comprehenduntur Rogationes. 12. Martii 1601.

23. Non est impedienda devotio ad imagines sanctas. 17. Aprilis 1602.

24. Canonici tenentur in choro psallere, aliis non satisfaciunt obligationi suae. 20. Aprilis 1602.

25. Licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi missam votivam de Beata Virg. Maria singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo duplici impeditis, non est tamen omittenda missa conventualis. 2. Decemb. 1684.

26. Sacerdos, qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam profecti eo tempore, quo à choro cantatur symbolum praedictum. 17. Decemb. 1695.

27. Non est faciendae Altaris thurificatio in missa conventuali dierum solemniarum, si absque cantu, & ministris celebratur. 22. Jan. 1701.

28. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiae, debent recitare officium, quod in choro dicitur, & licet extra Ecclesiam, vel Diocesim morentur, decet eos recitare officium proprium Ecclesiae ipsorum. 8. Septemb. 1602.

29. Clerici licet adscripti sint alicui Ecclesiae, & ejusdem servitio, non tamen obligati choro, & quicunque alii clerici saeculares, Regulares in civitate, vel Diocesi morantes, non tenentur recitare officia propria sanctorum illius Diocesis, vel quae de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. 8. Septemb. 1602.



30. Anniversaria, & missæ de requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri possunt in sequentem. 19. Maii 1614.
31. In Festo duplici non sunt dicendæ missæ votivæ privatæ, aut de requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum est etiam de Festo duplici translato.
32. Non sunt transferendæ missæ privatæ de requiem, quæ ex benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in Festum duplex, sed dicendæ sunt de Festo corrente, cum applicatione sacrificii juxta mentem benefactorum. 5. Augusti 1662.
33. Anniversaria, & missæ de requiem, quæ ex dispositione testatorum, cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiam si ipsorum obitus dies incidit in Festum duplex majus. 22. Nov. 1664.
34. Missæ de Festo duplici celebratæ in Altari animabus perpetuò privilegiato, & in quo profunde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 22. Jan. 1667.
35. Sacerdotes sive Cappellani sint, sive non, qui recitant officium semiduplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua sit de Festo duplici, non debent dicere missam de requiem. 9. Junii 1668.
36. Decretum extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata, ac proxime missæ de Festo duplici, quæ sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione celebrantur suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Septemb. 1669.
37. Durante expositione Sanctissimi Sacramenti non potest regulariter celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens. 2. Decemb. 1684.
38. Cum primùm habita fuerit notitia de obitu alicujus Personæ, cantari poterit missa de Requiem etiam in Festo duplici, quod non sit de præcepto; nam in hoc casu prædicta missa erit differenda. 4. Maii 1586.
39. Hæc decreta, licet comprehendant tantum Festa duplicia, intelligenda tamen & etiam de Dominicis, de diebus infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, de omnibus aliis diebus, quibus juxta rubricas non possunt celebrari missæ defunctorum. 3. Aprilis 1088.
40. In vigilia Epiphaniæ omnino prohibentur missæ votivæ privatæ, & de requiem 27. April. 1797.
41. Vesperæ defunctorum pro prima die mensis possunt dici post Vesperas Dominicæ, vel Festi 23. Maii. 1003.
42. Ubi est inveterata consuetudo recitandi in choro psalmos penitentiales in feriis quintis quadragesimalibus, post completorium, & psalmos graduales in feriis tertiis, ejusdem temporis, eodem loco retineri potest. 2. Aug. 1603.
43. Non est relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.
44. Missæ ad satisfaciendum Eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per externos, ubi commodè possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 28. Januar. 1606.
45. Gloria in Excelsis cum credo omittitur in votivis pro re gravi, si violacea adhibeantur paramenta. 19. Maij, 1607.
46. Res gravis pro licita votivæ solemnibus decantatione cum Gloria, & Credo est ea, pro qua convenit torus clericus cum Episcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur missa pro eorumdem judicio gravi. 19. Maij. 1607.
47. Cereus Paschalis regulariter accendendus est ad missas, & Vesperas solennes in triduo Paschatis, in Sabbato in albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est locorum consuetudo. 19. Maij 1607.
48. In Ecclesiis titularibus B. Mariæ Virginis faciendæ est in suffragiis commemoratio de eadem B. V. Maria, non obstante, quod in choro recitetur ejusdem officium parvum 13. Junii 1684.
49. In Altari privati oratorii, cui conceditur celebratio missæ, non potest tamen celebrari in natali Domini, Epiphania, prima die Paschatis, & prima Pentecostes, Annuntiatione, Assumptione B. V. Mariæ, in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, nec in solemnitate omnium sanctorum 17. Nov. 1607. quibus addæ Sabbatum sanctum.
50. Ecclesia Parochialis in Diocesi venit sub nomine matricis, antequàm idcirco neque regulares, neque Confr-

- teritates possunt campanas pulsare in Sabbato sancto. 9. Feb. 1608.
51. Omnes de Clero, etiam Canonici Eucharistiam sumant de manu celebrantis in feria quinta in Cæna Domini. 17. Sept. 1608.
52. Sacerdotes in die Cæne Dominicæ Sanctissimū Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam, vel ante pectus ad formam Crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.
53. Occurrente Festo Sancti Josephi in feria quinta in Cæna Domini antiquus mos communis Cleri in missa solemnitate ejusdem diei summa Religione hæctenus retentus nullatenus omittatur, ob aliquarum celebrationem Missarum. 13. Sept. 1692.
54. Si Festum S. Josephi venerit in feria quinta in Cæna Domini non solum servandum erit præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi missam, ideoque per ordinarios locorum accuratè providendum, ut eodie aliq̄ missæ privatæ ante celebrationem solite missæ conventualis non desint. 13. Septemb. 1692. Idem dicendum, si Festum Annuntiationis occurrerit in prædicta Feria quinta.
55. In choro teneri non debent aliæ imagines quàm sanctorum. 7. Augusti 1609.
56. Inferiores Episcopo non debent sumere de Altari Paramenta pro missa. 7. Julii 1612.
57. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante constitutione synodali, dummodò habeat solum reliquiarum repositorium. 1. Nov. 1612.
58. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19. Jan. 1614.
59. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos, ut Antistites. 12. Nov. 1615.
60. Regularium Superiores non veniunt sub nomine ordinariorum, & consequenter non possunt assignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de parochia B. V. Mariæ, quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die dominico illius mensis à locorum ordinariis eligendo. 22. Jan. 1701.
61. Clavis Hostiæ repositæ in feria quinta Cæne Dominicæ non est danda laico, quamvis nobili. 30. Jan. 1616.
62. Crux in processibus deferenda est à Regularibus cum velo pendente, seu pallio. 14. Jan. 1617.
63. Regulares in celebratione missæ possunt annunciare dies Festos, & jejunia in suis Ecclesiis. 2. Julii 1602.
64. In feria sexta in Parasceve non est administranda Eucharistia nisi infirmis. 19. Feb. 1622.
65. Regulares Ordinis Minorum, dum nominant in orationibus, versuculis, cæterisque actibus inter Divina officia occurrentibus Sanctum Franciscum prædicti Ordinis Fundatorem non debent adungere ly de Paula, 23. Dec. 1624. unde apparet quid in similibus sit faciendum.
66. Imagines illorum, qui cum Sanctitatis seu Martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in oratoriis, vel Ecclesiis tam secularibus, quàm regularibus, antequàm declarentur Beati: neque ad eorum sepulchra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis Apostolicæ, 13. Martii 1625.
67. Non ideò præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel ordinarii coluntur. 13. Martii 1625.
68. Facultas concedendi usum pileoli in missa spectat ad Papam. 24. Aprilis 1626.
69. Celebrans, qui distribuit Cineres, candelas, & ramos detecto capite distribuatur. 18. Julii 1626.
70. Ille idem, qui benedicit Cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in Festo purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare missam sequentem. 12. Aprilis 1640.
71. In Missa feriæ quartæ Quatuor temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. V. Mariæ dicenda est præfatio communis, non verò de B. Maria. 12. Decemb. 1626.
72. Signum, quod fit cum patena à fronte ad pectus fit integrè cum signo Crucis, 13. Martii 1627.
73. Infra octavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes nec non in feria quarta Cinerum, in hebdomada majore, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes non possunt dici votivæ missæ, neque de requiem. 28. Augusti 1627.
74. Oratio imperata à Superiore, veluti, Deus Refugium, omittenda est in duplicibus primæ Classis. 28. Augusti 1627. Romæ omittitur etiam in Festis secundæ Classis.
75. In fine missæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit re-

- reverentia Crucis infra gradus capite semper aperto. 28. Augusti 1627.
76. Si Litanie majores occurrerint in die Sancto Paschatis transferantur in feriam tertiam sequentem 25. Septemb. 1627.
77. In Ecclesiis Regularium habentium claustra, sicut processiones intra claustra tantum, si verò non habeant claustra sicut prope muros Ecclesiæ, sive ex eundo ab una porta, & intrando per aliam Ecclesiæ portam, sive per eandem. 26. Febr. 1628.
78. Extra ambitum Ecclesiæ non licet Regularibus facere processiones, nisi de licentia, & consensu Parochi: salvis privilegiis, & consuetudinibus, si quæ sunt 26. Febr. 1628.
79. Missæ de SS. Rosario, & de monte Carmelo Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum respectivè, & specialiter concessæ non sunt ab aliis celebrandæ sine speciali licentia. 8. Aprilis 1628.
80. Non possunt locorum ordinarii tam seculares addere Kalendaris etiam propriis sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ breviter Romani Rubricis, vel sacrorum Rituum congregationis seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. 8. Aprilis 1628.
81. Officium Defunctorum dici potest in choro separatim ab officio diei in diebus exceptis à Breviario, pro adimplenda testatorum voluntate. 12. Junii 1628.
82. De sancto Canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto. 9. Decembris 1628.
83. Non sunt inferendi in Litanis alii sancti præter ibi descriptos: neque tempore pennis addendi sunt Titulares, & civitatis Patroni, sine speciali concessione. 22. Martii 1631.
84. Qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, sed ejus locum, aliud suo arbitrio recitat suspendendus est à Missarum celebratione, quoad usque illud ritè pronunciare assuecat. 7. Julii 1631.
85. In Kalendaris locorum fiat nota, ad libitum, quando officia non sunt de præcepto. 6. Februarii 1638.
86. Festa ad libitum occurrentia in diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum alicujus Diocesis, vel Religionis sunt omittenda. 24. Jan. 1682.
87. Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo aliàs aliquod Festum translato poni deberet, vel in quo agendum esset officium concessum semel in hebdomada, vel in mense, possunt celebrari, protrahendo alterius ad aliam Festo translato, vel omisso officio per hebdomadam, aut per mensem concessio. 24. Jan. 1682.
88. Si Festum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittatur, sed celebretur ritu simplici. 13. Junii 1682.
89. In occurrere non potest transferri officium proprium alicujus Diocesis, vel Religionis, ut eo die agatur de festo ad libitum, ne omittatur. 2. Decemb. 1684.
90. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diocesis, vel Religionis non sunt celebranda, sed omittenda. 19. Januarii 1693.
91. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successivè alias duas missas, & in eis sacram communionem exhibere fidelibus illam depositibus, sed utrumque omnino prohibetur. 7. Dec. 1641.
92. Festum de Patrono principali loci est præceptivum cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus. 13. Sept. 1642.
93. Regulares, qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant in publicis functionibus, & ubi non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ. 6. Octobris 1645.
94. Beatorum nomina non apponantur in Kalendaris, nisi illius tantum loci, earumque Personarum, in quo, & à quibus cultus cum officio, & missa celebratur. 27. Sept. 1659.
95. Non sunt invocandi Beati in publicis precibus, præter indultas, & approbatas, nec eorum Reliquiæ in processibus circumferendæ. 27. Sept. 1659.
96. Licet non sint celebrandi dies Festi in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad Festa devotionis. 27. April. 1660.
97. Indulta recitandi officium cum octava, & celebrandi Missam de Beatis non sunt revocata per Decretum editum sub die 27. Septemb. 1659. Decretum hoc est. 17. April. 1660.
98. In illis Ecclesiis in quibus officium, & Missa de Beatis recitari, & respectivè celebrari possunt, licet earum Reliquias exponere, imagines, vel simulacra super Altari collocare, ac votivas tabellas ibidem appendere. 17. April. 1660.
99. In Missis de Beatis non est dicendum symbolum, ubi scilicet est permissio hujusmodi celebratio. 22. Jul. 1664. nisi ad sit Reliquia.
100. Tam Minores Conventuales, quàm observantes Reformati S. Francisci possunt in propriis suorum Ordinum Ecclesiis solemnizare Festum S. Antonii Patavini ea ipsa die in quam incidit, dummodo Reformati à processibus ab- stineant eodem loco, 20. Sept. 1658.
101. Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio missæ in feria quinta in Cæna Domini, nec ejusdem Augustissimi Sacramenti asservatio in sepulchro. 24. Jun. 1659.
102. Manus sacerdotis ad hanc igitur oblationem, debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super finistram in modum Crucis supra manus, non verò infra manus. 4. Aug. 1663.
103. Passio in hebdomada majori legenda in Missis privatæ in cornu Evangelii, licet in Missa solemnè legatur à celebrante in cornu Epistolæ. 4. Aug. 1663.
104. Cruces, quæ fiunt à sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. 4. Aug. 1663.
105. Pars inferior hostiæ, non autem superior præcedenda est, quando dicitur: Pax Domini sit semper vobiscum. 4. Aug. 1663.
106. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis. 4. Aug. 1663.
107. Lectiones primi Nocturni in Officio de Festo duplici majori sumendæ sunt (nisi sint propriæ) ex ejus Communi non verò ex Scriptura occurrente. 12. Julii 1664. Licet occurrat initium.
108. Dedicatio Apostolorum, & Salvatoris extra Urbem non habet integras Vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur Officium duplex minus. 12. Julii 1664. Idem dicendum de die Octava dedicationis.
109. Dies Octava non privilegiata dimidiata Vesperas in occurrentia cum Festo duplici minori. 12. Julii 1664.
110. Si transferatur Festum S. Lucie in Feriam secundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ erunt de die Octava Conceptionis cum Commemoratione S. Lucie. 1. Martii 1681.
111. Quæcumque dies Oct. B. V. MARIE debet habere integras utrasque Vesperas in concurrentia cum Festo duplici minori. 11. Aug. 1691.
112. Non permittitur ad Altare majus celebratio Missæ, dum dicuntur in Choro Matutinum, & horæ. 15. Sept. 1664.
113. Ubi celebratur Festum S. Raphaelis Archangeli ad octavam Benedictionem dicatur, *cujus Festum non verò, quorum Festum*. 13. Sept. 1692.
114. Si simul sint transferenda Festa S. Marci Evangelistæ, & S. Apostolorum Philippi, & Jacobi prius reponatur Festum S. Marci, deinde Festum Apostolorum. 18. Septemb. 1666.
115. Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, non est transferendum post octavam, sed intra eandem celebrandum prima die non impedita. 30. Septemb. 1679.
116. Officium particulare alicujus Diocesis, vel Religionis, quod occurrit die vigesima quinta Februarii, & transferendum in Anno bisextili ad primam diem non impeditam, dummodo non sit duplex primæ Classis. 7. Septemb. 1680.
117. Officium semiduplex, quod occurrit, in Dominica infra Octavam non privilegiatam, non est celebrandum in Feria secunda sequenti, licet non impedita, si habeatur reponendum aliud Festum altioris ritus. 1. Martii 1681.
118. In repositione duorum vel plurium Festorum ritum habentium eundem, & die occurrentium diversa attendenda prioritatis translationis nisi attendenda sit major dignitas. 13. Junii 1682.
119. Si plura sint transferenda Festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel pompæ concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. 20. Julii 1686.
120. Non est transferendum in diem immediatè sequentem Festum illud, ante cujus translationem habentur